B. N. C
FIRENZE
1002
30

1002. 30

MEMORIA
INSIGNIS THEOLOGI AC POLYHISTORIS NORIMBERGENSIS
MARTINI BEERII
PASTORIS AD SPIR. S. MORALIVMQVE ET GEOGRAPHIÆ PROF. PVBL. MERITISSIMI

SERVATA

ET AD IPSIVS GENERVM

ORNATISSIMVM OMNIQVE VIRTVTE

NOBILISSIMVM VIRVM

GEORGIVM CHRISTOPHORVM FIERERVM

PERSCRIPTA

A

JOANNE FABRICIO
D. AC PROF. P.

ALTDORFI
TYPIS HENRICI MEYERI UNIV. TYPOGR.
A. C. M. D. C. XCIII.

Vt præclariſſimi, pieq́; defuncti Beeri noſtri memoriam pro virili ſervem, non una me cauſa impellit. Primum enim multa ac varia ſunt ejus cum erga Chriſti eccleſiam, tum erga remp. literariam merita, quæ ſane ſilentii velo neutiquam ſunt obtegenda. Deinde adeo arctum ipſummet inter ac B. parentem meum amicitiæ atque familiaritatis vinculum interceſſit, ut arctiore conſtricti non fuerint Pylades & Oreſtes, David & Jonathan. Deniq; incredibile dictu eſt, quanto vir optimus favore & amore indeſinenter complexus me fuerit: ut vel hoc nomine ei poſt fata me obſtrictum eſſe agnoſcam, ac præſens pietatis officium omnino præſtare debeam. Præſtabo autem id ſtylo plano ac ſimplici, qui certe gratus eſſe ſolet bonis mentibus, celebrandæq́; τ̃ μακαρίτȣ noſtri, ab ampullis & ſesquipedalibus verbis ſemper abhorrentis, virtuti convenit maxime. Enimvero natus eſt ille in hunc mundum anni ſupra milleſimum & ſexcenteſimum ſeptimi ac decimi die XIV. Decemb. circa horam ab occaſu ſolis primam, adeoq; nocturno tempore; quod tenebras & atram noctem oculis ipſius ante tempus inducendam quaſi portendit. Et ſi quid commendationis a loco nativitatis accedere poteſt, erat profecto, unde ſibi gratularetur noſter; quippe quem excepit non vile aliquod oppidum, non incelebris, ſed *magnifica, ſplendida, potens, ac totius Germaniæ ſuperbiſ-*

perbiſſima urbs, uti Philippus Cluverius, vir gravis & amans veri, idemq; exterus, nec ullo modo Rei noſtræ publicæ devinctus, deſcribit Noribergam lib. III. Introduct. Geograph. cap. XI. Pater ei fuit reverendus & clariſſimus Michael Beer, venerandi capituli Laurentiani diſpoſitor bene meritus: Mater, dotibus fœmineum ſexum exornantibus inſtructiſſima, Catharina, nata Pflügera. Qui de ſalute nati, ut pios decet parentes, ſoliciti, ſine mora curârunt, ſacroſancto baptiſmo ut renaſceretur, CHRISTIq; Domini noſtri militiæ inſereretur, ſpondente pro ipſomet & ſacramentum deponente viro ſpectabili atq; integerrimo, Martino Tilemanno Rebenſtock, qui religionis zelo lares Antverpienſes cum Norimbergenſibus commutaverat. Iidem eum, ſimul ac fari cœpit, pietati initiârunt, atq; ad orationis, DEI victricis, ſtudium ſedulo duxerunt; & cum diſcendi amorem in eo deprehenderent haud vulgarem, tam aliorum magiſtrorum, quam Georgii Schröderi, ludi Laurentiani rectoris meritiſſimi, fidei atq; informationi commiſerunt. Sub cujus informatione ita profecit in lingua Græca & Latina literisque elegantioribus, ut ſuo cum commodo anno 1632. ad almam ſtudiorum matrem Altorfium ablegari poſſet. Ubi ſingulari generoſorum prudentiſſimorumq; academiæ hujus Curatorum beneficio aſcitus in numerum alumnorum Noricorum, cum reliquis commilitonibus inſpectorem habuit virum eruditione ac pietate præſtantiſſimum, Marcum Kraherum, cui magnam animi ſui culturæ partem ſe debere ſæpenumero faſſus eſt. Inde factum, ut quo majora incrementa caperet ipſius eruditio, eo charior fieret & laudato inſpectori ſuo, & clariſſimis philoſophiæ profeſſoribus, interq; illos inprimis Joh. Kobio, qui adeo humanum ac benevolum ſe præſtitit erga diſcentem, ut prælectiones ſuas publicas ad calamum dictatas atq; a noſtro exceptas pellegere, & ſicubi opus erat corrigere, deq; iis cum ipſo amplius conferre ac diſſe-

diſſerere, deniq; & alacriter in ſtadio philoſophico currenti calcar addere non gravaretur. Quum hæc commemoro, non poſſum non publico nomine pro tanto affectu tibi gratias agere, piisſime, atq; etiam de me, quem e ſacro fonte ſuſcepiſti, puerumq; optimis monitis ſemel atq; iterum inſtruxiſti, meritiſſime Kobi, ſed & gratulari tibimet ipſi de fortuna, quam nactus es in diſcipuli obſequio. Sæpe enim & alii doctores facem alicui prælucent, ac viam commonſtrant ad veram eruditionem, qui tamen ſequi recuſat, aut certe ſimulat: eo ipſo autem non minore eos triſtitia afficit, quam parentes filius degener. Longe aliter comparatum erat cum Beerio, utpote qui optimo præceptori morem geſſit, ſuiq; laboris & obedientiæ meſſem vidit lætiſſimam, quando ſub illius præſidio de Demonſtratione cum applauſu eruditiorum diſputavit. Transacto heic triennio, anno 1635. menſe Novembr. non levitatis, ſed continuandorum tam philoſophicorum, quam philologicorum, & inchoandorum theologicorum exercitiorum cauſa Jenam ſe contulit, atq; in magnum theſaurum, hoc eſt, in bonos præceptores etiam ibi incidit, videlicet in Dan. Stahlium, Joh. Mich. Dilherrum, Salomonem Glaſſium, Joh. Gerhardum, & Joh. Majorem, (cujus ultimi convictu, juxta cum Rolfinckio & Slegelio, medicinæ profeſſoribus, ipſoq; etiam Dilherro, fruebatur) viros doctrinæ excellentia, & meritorum præſtantia tunc temporis præ aliis illuſtres. Neq; horum lectiones adiit, ut canis e Nilo bibens, ſed ſedulus & conſtans, probe ſciens, tempus a ſtudioſo collocari melius non poſſe, quam auditione eorum, quibus ſparta docendi rite ac provide commiſſa eſt, quosq; non omni tempore deinceps liceat audire; nec ſtultiores, & feræ pœnitentiæ magis expoſitos eſſe, quam ſciolos & αὐτοδιδάκτους. Quod quidem ſæpe mecum doluit jam ſenex & ſubacti vir judicii, noſter Beerius, ſed & hoc addens: *O quanta nobis imminet barbaries! pauciſſimi enim ſunt, qui cum*

cura ſtudia ſua tractant. Quos igitur præcones habebimus in ecclesia? quos magiſtros in ſcholis? Ego mihi gratulor, quod morti ſum vicinus, & calamitati venturæ eripior. Sed DEVS eam a nobis avertat, & meliorem nonnullis diſcentibus mentem indat, eosq; adfrugem revocet, ut nempe præclaris Beeri noſtri veſtigiis inſiſtant! Qui quidem præter ſedulam collegiorum frequentationem, indefeſſum laborem ſuum & inde factos profectus tam privatis quam publicis ſpeciminibus oſtendere & exhibere voluit, dum ſub Stahlio intra privatos parietes partes perpetui reſpondentis obiit, & ſub eodem publice bis, ſemel quidem in logicis, altera autem vice in metaphyſicis, quam materiam proprio marte elaboraverat, porro in philologicis ſub Joh. Tobia Majore, nec non Dilherro, qui A. 1637. inter VIII. honorum philoſophicorum candidatos primum ei locum, conſentientibus collegarum ſuffragiis, tribuerat, deniq; & ſub Glaſſio in epiſtolam ad Romanos, quam ille publice ennarrabat, ſemel atque iterum, ſemper autem magna cum laude diſputavit. Inde Marpurgum abiit, hoſpitem pariter ac doctorem ſibi eligens Menonem Hannekenium, ſed ob motus bellicos, habita prius ſub Juſto Feurbornio diſputatione, non diu ibi ſubſtitit. Placuit autem ſalutare Argentinam, in eaque magis informandum ſe tradere magnis illis nominibus, Joh. Schmidio, Dorſcheo, & Dannhauero; qui ſicuti præſtans Beerii ingenium ejusque haud vulgares in theologia progreſſus juſta æſtimationis lance perpendere valebant, ita ſingulari eum affectu proſecuti ſunt, atque hunc ipſo demonſtraturi opere, procurarunt, ut plus una vice in eccleſia cathedrali ipſi liceret concionari. Quin & hoſpes ejus, qui erat Schmidius, inter complures alios ſtudioſos noſtrum elegit, qui in graviore quodam negotio Lugdunum Galliæ mitteretur, eoq; expedito, & compellatis antea in tranſitu viris doctis, qui Baſileam tunc ornabant & Genevam, in interiores

riores florentiſſimi illius regni partes penetraſſet, ejusque metropolin, hodierni orbis miraculum, viſere allaboráſſet, niſi præter ſpem atq; opinionem ab ampliſſimis noſtræ hujus academiæ Nutriciis ad inſpectionem alumnorum A. 1643. vocatus, atque ut ante feſtum Petro-Paulinum ſe ſiſteret, juſſus fuiſſet. Cui vocationi jure meritoq; obediens, ſtato tempore propitiis vialibus comparuit, ſpartamq; ſibi commiſſam tanta fide & diligentia ornavit, ut Proceres noſtri, nomine & ex decreto inclyti Senatus Noribergenſis, miſſa peculiari epiſtola, eum juberent ſuscipere profeſſionem hiſtoriarum & geographiæ in auditorio urbis Ægydiano publicam, benigniſſime pariter pollicentes, diaconatus officium, quod primum vacaſſet; ipſius fore. Atque, ne omnino deeſſet exercitium habendi ſermones ad populum chriſtianum, die XVII. Sept. An. 1647. commiſſus ei fuit vicariatus in æde B. virginis Mariæ & mox ſecuta ordinatio, ſive ad ſanctum miniſterium inauguratio, quæ præmiſſo examine fieri ſolet Altorfi; unde canonicis ſive laudatoriis cum literis reverſus, ad novum officium ſeſe accinxit, atq; ita illud adminiſtravit, ut dubium relinqueret, majorne ab illo ad ipſum, an ab ipſo ad illud honos manaſſet. Atque in hisce promotionibus, quod neutiquam ſilentio prætereundum, fautorem ac mæcenatem ſingularem expertus eſt virum ſummum, prudentiaq; & meritis erga remp. eccleſiam, academiam & ſcholas inclytum, Lucam Fridericum Behaim, Septemvirum, & Protoſcholarcham, qui usque adeo favit Beerio noſtro, ut non alium, quam hunc ipſum ſibi experet funeris ſui oratorem, quem & impetravit terræ matri mandatus d. 2. Jul. An. 1648. Sequente anno, quaſi cum ephoratus ſplendore etiam affectus erga Beerium transfuſus eſſet in illuſtrem Georgium Im Hoff, amorem ac delicias Senatus populiq; Norici, ſub hoc benigno ſidere admotus fuit diaconatui in prædicta æde Mariana, eumq; fideliter obiit

usque

usque ad annum 1652. Qui ei magis ſalutaris, magisq; honorificus extitit. Etenim cum paſtoratus eccleſiæ a Spiritu S. nomen habentis vacaret, placuit facundiſſimorum oratorum, nedum noſtras laudes longiſſime ſupergreſſo Chriſtoph. Fürero ab Haymendorff, Reip. Duumviro primario, Prætori & Caſtellano, eidemq́; xenodochii ad Spir. S. & cœnobii S. Catharinæ præfecto, oculos animumq́; flectere ad Beerium, eumq́; Patribus conſcriptis proponere & denominare; e quibus, quod mirum, nullus fuit, qui ab ejus ſententia diſcederet, ſed omnes potius ac ſinguli denominatum, tanquam ſparta digniſſimum, ſuis calculis confirmârunt. Quo facto, novellus paſtor a patrono illo ſuo, Senatorum principe, præſente etiam eccleſiarum Ephoro jam ſupra laudato, ſed nunquam ſatis laudando, Georg. Im Hoff, reverendo ſacræ illius domus capitulo, nec non binis noſocomii concionatoribus, & ſcholæ xenodochianæ rectori præſentatus, & de meliori commendatus fuit. Tunc ille auditoribus Marianis valedixit in feſto S. Thomæ, novos autem in templo ad Spir. S. dominica ſeptuageſima anni inſequentis, videlicet 1653. prima concione ſalutavit, atq; inde ab illo tempore omne ſtudium, & cogitationem, omnem operam & laborem, omnesq́; deniq; nervos eo intendit, ut fidelem, vigilantem, ſedulum & religioſum ſe exhiberet ἱεροδιάκτην. Vtrum vero aſſecutus fuerit hunc ſcopum, nec ne, judicent alii, qui eum norunt, nec invenerunt, quod jure reprehenderent; judicet urbs, quæ memoriam ejus ſervat immortalem; judicet Senatus, ſacrum illud Sapientum concilium, qui ejus cœpta & operas omnes approbavit. Quod vitam domeſticam attinet, ut eam ſuavius & commodius innocentiusq́; peragere poſſet, Petri & aliorum Apoſtolorum multorumq́; eccleſiæ Patrum exemplo animum ad conjugium applicavit An. 1648. aſcita in thori ſociam matrona honeſtiſſima, Magdalena, Stephani Gärtneri vidua, nata Zölnera, e qua prius de-

natum

natum quam natum filiolum ſuſtulit, ut & filiolam, quam poſt ſeptennium multo cum luctu iterum amiſit. Poſt hæc, expleto viduitatis tempore, anno 1662. d. XI. Novembr. ad ſecunda tranſiit vota, fidem & amorem ſtipulans lectiſſimæ ornatiſſimæque virgini, Annæ Mariæ, natæ Eckenbrechtæ, quæ ipſum patrem reddidit trium liberorum, unius videlicet filii, & duarum filiarum, e quibus ſola adhuc ſupereſt (utinam diu, & ad neſtoreos annos!) Anna Maria, quæ naturæ & virtutum ornamentis ſplendet, quæ cum parentibus nunquam rediit in gratiam, quæq; optimo & omnium laudes conſecuto digna erat marito; qualem etiam Superis faventibus reperit, cum an. 1686. tibi, ſpectatiſſime atque integerrime Fierere, bonis omnibus congratulantibus, deſponſaretur, quem hactenus beavit auxitq; triga liberorum, e quibus multa cum ſuavitate tibi ludunt Maria Magdalena, & ſub finem ſuperioris anni natus Chriſtophorus, quos Deus vobis ſervet, omniq; benedictionis genere florentes ac beatos reddat! Atque utinam pius avus præſentis felicitatis veſtræ partem & ipſe guſtare potuiſſet, & non dicam videre, ſed palpare duntaxat, atque in ulnas ſuas vel in ſinum ſuum recipere tenellulum amabiliſſimumq; Chriſtophorum, familiæ Fiererianæ ſpem unicam, & cariſſimum depoſitum. Ecquis, amabo, illo fuiſſet felicior? quis magis tripudiaſſet? quis majore perfuſus fuiſſet gaudio? At enim vero hoc tibi ſolum coſtæque tuæ relinquere voluerunt Superi, ut veſtrum eſſet proprium, vosq; totos caperet atque repleret. Itaque & vobis, ut dixi, ſit perpetuum! Sed ad Beerium noſtrum, immo tuum, revertamur, & quæ corporis ſui valetudo, quoque illa modo imminuta, debilitata, & tandem confracta ac penitus ſoluta fuerit, paucis exponamus. Equidem felici, ut ajunt, ſidere videbatur natus eſſe, quippe cui proba ac ſolida corporis conſtitutio contigerat, usque

dum anno 1663. oculi catarrho quodam vexarentur. Cui malo ut obviam iretur, afflictisq; partibus aliqua eademq; plane neceſſaria quies dari poſſet, in concionibus hebdomadalibus eum a collegis ſublevari voluit, qui tunc temporis erat Præfectus xenodochii, atque ad clavum Reip. maximo ejusdem bono ſedebat, Principibusq; placebat viris, quæ non ultima laus eſt, Burckhardus Löffelholtz a Colberg, Electoris Moguntini & Principis Würzburgenſis conſiliarius. Sed hæc præcautio, quantumvis optima ac prudentiſſima, obſtare non potuit, quo minus hoſtis oculis infeſtus denuo, & majori niſu pugnam ſuſciperet. Anni enim 1681. dominica XIII. Trinitatis novus prorupit catarrhus, tantamq; viſui imbecillitatem & caliginem induxit, ut in prælegendo auditoribus evangelio, bonus paſtor non ſatis recte poſſet progredi. Concionem nihilominus bene abſolvit, eaq; abſoluta aliquamdiu ab hoc officio abſtinuit, & ope medici uſus ſperavit in Domino, viſum ſibi redditum iri; ſed fruſtra: quandoquidem velum ab oculis non removebatur, nec niſi mica luminis relicta erat, cujus beneficio, accedente ductoris alicujus opera, per viam alioqui notam incedere poſſet; ſed homines dignoſcere, aut vel unicam libri impreſſi ſcriptæve epiſtolæ lineam legere minime ſuſtinebat vir optimus. Quo major autem oculorum erat captivitas cœcitasque, eo liberior & acutior reddebatur illius mens. Qui exterius quaſi talpa erat cœcior, intus erat oculatiſſimus, & velut alter Argus. O quam ſæpe prodeſt oculorum cœcitas ad id, ut multum videas! tunc enim non abducta vel impedita, ſed tota in ſe recollecta anima aperire ſolet cœco in ſenſu oculos lynceos. Ita Beerius noſter, quantamcunque fecerat viſus jacturam, tamen, ſola aliorum, filiæ etiam & uxoris, (quæ honoris cauſa, & ut livori ac maledicentiæ ilia rumpantur, heic nobis commemorandæ ſunt) prælectione, propriaq; meditatione uſus,

in functione tam profeſſionis quam eccleſiaſtica perrexit ignaviter, niſi quod procedente tempore tanto labori imparem ſe ſentiens, indultu ac beneficio novi, & ſaluti ut omnium civium, ita & Beerii, non minimæ illorum portionis, ſaluti invigilantis ac tandem etiam immortui xenodochii Præfecti, Georgii Pauli Im Hoff, hebdomadales homilias miſſas fecit. Dominicales autem, paucis exceptis, usque ad XXII. dominicam Trinit. anni 1689. ſingulari cum diligentia continuavit; & continuaſſet etiam ulterius, niſi jam grandævus & ſeptuagenario major inſigne animi corporisq; virium decrementum ſentiens, neceſſe habuiſſet cum Patres conſcriptos, tum eorum caput ac primipilum, vigilantiaq;, prudentia, & dexteritate anteceſſoribus ſuis non imparem, Jodocum Chriſtoph. Kreſſium à Kreſſenſtein, in Krafftshoff, Räzeldorf, & Rohenſaas rogare, ut concionandi ſpartam a ſe plane removerent. Dictum, factum: & ita quidem, ut propterea ſalarium ipſius ne obolo quidem fieret minus. Nulla eſt virtus, qua imperantes propius accedunt ad DEVM, cujus vices gerunt in his terris, quam benignitas & beneficentia; eamq; omni ævo exercuiſſe Optimates Norimbergenſes, ſibiq; adeo immortalem & ſaxeis monumentis inſculpendam famam peperiſſe, eos autem, quibus bene fecerunt, usque ad urnam ſibi devinxiſſe, aliosque pariter ad bene merendum vel tacite allexiſſe & pertraxiſſe, quis neſcit, aut, ſi neſciviſſet, ex novo hoc exemplo non diſcit? Quis tantis evergetis cum ſene noſtro non infinitas agat habeatq; gratias? Quis non offerat ſacrificium precum pro ipſorum ſalute, felicitate, & opulentia, ſapientiſſimiq; regiminis æternitate? Diſcite, o Magiſtratus, ex præclaro hoc exemplo, non perire, quæ beneficii loco conferuntur atque impenduntur bene meritis aut bene merentibus, ſed eſſe inſtar granorum, quæ laborum ad publicum commodum, atque ad faſtos nominibus laudibusq;

 veſtris

veſtris explendos ſpectantium decuplum ferunt, immo centuplum. Quid ergo miſſis concionibus fecit Beerius? Num otio indulſit? Indulſit, ſed negotioſo & ſtudioſæ juventuti proficuo otio, aſſidue, quantum corporis imbecillitas permittebat, in iis pergens, quæ duplex requirebat profeſſio, videlicet in moralibus & geographia docenda. Et in hac (quod mirum auditu) cœcus videntes duxit, & oculorum facultate præditis digito in mappis monſtravit regiones, provincias, regna, fluvios, maria, oceanum, urbes, oppida & caſtella oculis ipſe captus: tam familiares ſibi illas ex crebro uſu & exercitio reddiderat, quum adhuc viſu polleret, & excubias ſub fronte rite diſpoſitas & inſtructas haberet. Sed ut nullum caſtellum tam munitum eſt, quod pertinace & ſubinde reſtaurata atque adaucta hoſtium vi non expugnari poſſit, ablatis præſertim exterioribus; quæ ipſum defendere poterant ac debebant, partibus; ita Beerius noſter ſenio quotidie magis ingraveſcenti, tanquam irruenti hoſti, cui hactenus binas officii partes dederat, tandem totus cedere, & ipſam etiam profeſſionem deferere ac tradere coactus eſt. Id quod factum menſe Junio anni 1691. nec cum ejus dedecore & damno, ſed potius maximo cum honore & commodo. Annuerunt enim, & bene meritum ita remunerare voluerunt, ſine quorum auctoritate & conſenſu talis mutatio fieri non potuiſſet, quique rei eccleſiaſticæ & ſcholaſticæ in illuſtri Republ. habenas moderantur. Datus ei ex voto ſucceſſor vir æque modeſtus ac doctus, Muſisq; & earum cultoribus jam pridem charus, nec minor celeberrimo patre, ſi non major futurus, Joh. Wülferus: ipſe autem emeritus ac rude jam donatus veram philoſophiam, quæ meditatio mortis eſt, cœpit tractare, adjutus in nova hac ſchola (quod ſine calumnia accipi volo) a ſuaviſſima uxore, quæ cum Hanna, Maria, Monica, multisq; aliis devotis fœminis, pietatis ſtudium in deliciis habens,

bens, collectas & conſcriptas in certo libello preces & cantiones cum ſelectioribus S. Scripturæ dictis ei haud gravatim ſolita eſt prælegere, ſicut & in curando ac fovendo ipſius corpore cum omni alio tempore, tum illo inprimis, quo id ſenio & morbis debilitatum & confectum erat, ſupra quam dici poteſt, ſolicitam, vigilantem & induſtriam ſe exhibuit, omnesq; fidiſſimæ conjugis numeros implevit. Quod bonus vir non minus erga me, quam alios, ſæpenumero deprædicavit, idq; non minimam ſuæ in hiſce terris felicitatis & inſignis in calamitoſa vita ſolatii partem reputavit, ſicut & legitur in Eccleſiaſt. cap. XXVI. *Mulieris bonæ beatus eſt vir, & numerus dierum ejus duplex. Mulier fortis lætitiam affert viro ſuo, & annos vitæ illius implet proſperitate. Bona mulier bona portio eſt, in partem reverentibus Dominum dabitur. Gratia ſuprema eſt pudica & fidelis mulier; neque eſt pretium ullum æque pendendum, ac temperans anima illius. Vt ſol Domini oriens in altiſſimis, ita pulcritudo bonæ mulieris eſt in ornamento domus ipſius.* Sed quid cunctamur? Ecce jam morti, quam hactenus meditabatur, cuique ſe accurate præparabat, vicinum Beerium noſtrum. Poſtquam enim anni ſuperioris 1692. die S. Bartholomæo ſacro, excuſſis agnitisq; peccatis ſuis, eorumq; confeſſione edita, S. cœnam devotiſſime, uti ſemper ſolebat, ſumſiſſet, majorem quam unquam antehac virium imbecillitatem ſenſit, adeoq; ſupremum diem ſibi imminere ſuſpicatus eſt. Nihilominus, ne ſibimet ipſe deeſſe, illumq; accelerare videretur, medicamenta, quæ porrigebantur exquiſitiſſima, patienter ac lubens admiſit ſumſitque: ſed ſuperveniente obſtructione & febre catarhali, d. 9. Septemb. qui erat feria quinta, prima noctis hora, quota & olim natus fuerat, inter preces circumſtantium placide in Domino obdormivit, atque ita ab eo quaſi alter Simeon in pace dimiſſus eſt, annum ætatis agens quintum & ſeptuageſimum, utriusq; muneris, ec-

cleſiaſtici videlicet & profeſſorii, quadrageſimum quintum, & paſtoratus nonum ac trigeſimum. Ita ergo, o optime, & laborum & honorum & annorum ſatur vivere deſiiſti. Deſiiſti autem? Immo vivis etiam nunc, viveſq; per omnem, quæ futura eſt, ætatem, in omnium, qui merita tua nôrunt, aut noturi ſunt, corde & ore. Vivis, viveſq; in memoria Senatus, in pectore auditorum ac diſcipulorum, in linguis populi. Vivis, viveſq; in oculis tua ſcripta legentium, in auribus de te audientium, in famæ buccina. Vivis, viveſq; in mente uxoris, in vultu filiæ, in fibris generi, in medullis fautorum & amicorum. Qui laudatiſſima magnorum eccleſiæ doctorum veſtigia calcare, & fide Ignatium, charitate erga DEVM & proximum Juſtinum martyrem, adverſariorum amore Polycarpum, humilitate Ephræmum Syrum, fortitudine & conſtantia chriſtiana Ambroſium, orationis ardore Joannem chryſoſtomum, modeſtia Epiphanium, manſvetudine ac lenitate Athanaſium, patientia & reſignatione Auguſtinum, abnegatione tui Cyprianum, concordiæ ſtudio Irenæum, vigilantia paſtorali Gregorium M., zelo in heterodoxos Hilarium, libertate corripiendi peccatores Hieronymum, miſericordia & liberalitate erga pauperes Joannem eleemoſynarium, & prudentia eccleſiaſtica Baſilium magnum referre & exprimere ſtuduiſti, merito apud nos vivis viveſq;, &, ut illorum, ſemper honos, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt. Sed quid dixi, apud nos? Quin tu jam vivis viveſq; inter cœlites, in ſede beatorum, in terra viventium, in tabernaculis pacis, in tabernaculis æternis. Quis rapiat coronam juſtitiæ, quæ tibi repoſita eſt, quamq; fideli ſervo ſuo reddet Dominus in die extremo? Quæ vita melior, quam illa, ad cujus inchoatum jam admiſſus es guſtum, quæq; beate ſempiterna eſt & ſempiterne beata, ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, & tranquilla jucun-

jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas? O quanta ibi copia, ubi nihil eſt, quod nolis; totum, quod velis! O quanta beatitudo, ubi nullum eſt malum, nullum latet bonum, vacatur Dei laudibus, qui eſt omnia in omnibus! Ita æternum vive, beate vir, (non eſt, quod invideamus, quin gratulamur tibi, & ad eandem felicitatem omnibus votis & conatibus ipſimet adſpiramus) vale æternum!

SCRIPTA B. BEERII.

Diſputatio Metaphyſica, ſub præſidio *Dan. Stahlii.* Jenæ, An. 1636. in 4.

Philologema de Prophetia. Jenæ, 1639.

Theſium Logicarum Centuriæ quinque. Altdorfi, 1646.

Diſputatio Philoſophica, reſpondente *Georg. Andr. Reutero.* Noribergæ, 1647.

Oratio de nobiliſſima Hominis parte &c. Noribergæ, 1647. 12.

Diſputatio Miſcella, reſp. *Joh. Georg. Ulmero.* Noribergæ, 1648. 4.

Herrn Luc. Frider. Behaims Leich-Predigt. 1648.

Gebet/ ſo auf Herrn D. Lutheri Catechiſmum/ und inſonderheit auf die 52. Lectionen des Nürnbergiſchen Kinderlehr-Büchleins gerichtet. 1652. 8.

Von Fortpflanzung der Evangel. Wahrheit/ von den Zeiten der Apoſtel an/ biß auf die Zeiten D. Lutheri. 1654. 12.

Herrn

Herrn D. Joh. Chriſtoph Herpfers Leich-Predigt. 1654. 4.

Von Päbſtlicher Anruffung der heiligen Engel/und der verſtorbenen Heiligen. 1656. 12.

Vom Leiden JEſu Chriſti/ Andachten und Predigten. 1657.

Die unfehlbare und ſtets beharrende Kirch Chriſti. 1658.

Gründliche Widerlegung des kurzen Beweiſes Herrn Viti Erbermanni. 1659.

Neuen Jahrs Verehrung an Herrn D. Johann Caſpar Jäger. 1661. 4.

DEO gratias, weil Herr D. Johann Caſpar Jäger auf die Neu-Jahrs-Verehrung nichts tüchtiges kan antworten. 1661.

Anti-Venator, oder völlige Ableinung des Antarctici. 1662. 12.

Geographiæ Veteris & Novæ Enchiridion. 1665.

Breviarium Geographicum. 1667.

75236

MC